

a) Pro Summo Pontifice, Cardinali, Episcopo, aut pro Sacerdote, in quibus casibus dicitur Missa prima de *Requiem*, sumitur Oratio quæ dignitati respondet Defuncti, ut supra (2º, a).

b) Pro Clerico non Sacerdote, et pro laico, in quo casu dicitur Missa secunda de *Requiem*, sumitur Oratio quæ in Missali post secundam Missam describitur: *Quæsumus Domine, etc.* (cfr. Q. 321, A, 3).

In die Anniversario ab Obitu, seu Depositione, etiam in Anniversariis late sumptis, iterum distinguendum est ut supra :

a) Pro Summo Pontifice, Cardinali, Episcopo, aut pro Sacerdote, in quibus casibus dicitur Missa prima de *Requiem*, sumitur Oratio quæ dignitati respondet Defuncti, ut supra (2º, a).

b) Pro Clerico non Sacerdote, et pro laico, in quo casu dicitur Missa tertia de *Requiem* (cfr. Q. 313, III), sumitur Oratio ex hac tertia Missa: *Deus, indulgentiarum Domine, etc.* (cfr. Q. 321, A, 4), cum variationibus indicatis pro numero et genere.

4º Quando pro defuncto solemniter celebratur post acceptum nuntium de ejus obitu, iterum distinguitur :

a) Pro Summo Pontifice, Cardinali, Episcopo, aut pro Sacerdote, in quibus casibus dicitur Missa prima de *Requiem*, sumitur Oratio quæ dignitati respondet Defuncti, ut supra (2º, a).

b) Pro clerico non Sacerdote, et pro laico, in quo casu dicitur Missa secunda de *Requiem*, ut in die Obitu seu Depositionis (cfr. Q. 313, II, et Q. 346, 3º), sumitur Oratio ex ista secunda Missa: *Deus, cui proprium etc.* (cfr. Q. 321, A, 2) ; idque fit etiamsi Missa celebraretur post Defuncti sepulturam, aut in die qui ab Obitu seu Depositione tertius, vel septimus, vel trigesimus numeraretur.

NOTA. Hac super re datur sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « In Missa de Requie pro defuncto in loco dissito cum primo nuntius mortis accipitur, aliqui putant sumendam esse Orationem de die tertia, omisso verbo *tertium* (quæ tamen minime convenire videtur, quando accepto nuntio per telegraphum, Missa canitur ante ipsius defuncti depositionem), vel dicendo « *cujus obitus diem commemoramus* ».

Alii vero putant in casu esse semper dicendam Orationem de die obitus, omisso forte verbo « *hodie* », si depositio jam facta fuerit. Quænam ex his opinionibus est in praxi sequenda ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « *Recitanda Oratio prout est in Missali.* » (Decret. 6 Februarii 1892, n. 3764, ad IV.) — Sensus hujus Decreti declaratur in Indice generali sequentibus verbis : « *In Missa de Requie pro Defuncto in loco dissito, cum primo nuntius mortis accipitur, Oratio recitari debet, prout est in Missali (in die obitus).* » (Index generalis, pag. 297.)

5º In Missis quotidianis Defunctorum, si sunt solennes, aut cantatæ, distinctio sequens facienda est :

a) Si Sacrificium offertur pro defuncto, vel defuncta, vel defunctis *certo designatis* : tunc ex tribus Orationibus dicendis, prima Oratio erit dicenda pro defuncto, vel defuncta, vel defunctis, ex diversis Orationibus quæ in Missali, post quartam Missam de *Requiem*, pro defunctis describuntur (cfr. Q. 321, B, 1 ad 12, et Q. 322). juxta qualitatem ejus, vel eorum aut earum, pro quo aut qua, vel quibus Sacrificium offertur et applicatur : — secunda Oratio dicetur ea quam ad suum libitum elegerit Celebrans, ex. gr., pro patre et matre, etc. ; — tertia Oratio dicenda est pro omnibus Fidelibus Defunctis, nempe *Fidelium etc.*

b) Si Sacrificium offertur pro defunctis *in genere*, pro defunctis *non certo designatis*, quorum numerus qualitas et nomina ignota sunt, vel ad intentionem dantis (cfr. Q. 322, 6 et 7), tunc tres Orationes dici debent illæ quæ pro Missis quotidianis in Missali prostant, eodemque ordine quo sunt inscriptæ ; sumuntur ergo Orationes ; prima, pro defunctis Episcopis, seu Sacerdotibus : *Deus, qui inter apostolicos sacerdotes etc.* ; — secunda, pro defunctis fratribus, propinquis, et benefactoribus : *Deus veniæ largitor etc.* ; — tertia, pro omnibus Fidelibus defunctis : *Fidelium etc.* (cfr. Q. 321, A, 5, 6, 7).

Nota quod in hoc casu b) secunda Oratio non potest, ut supra in casu a) sumi ea quam ad libitum suum elegerit Celebrans ; textus enim Decreti 30 Junii 1896 (cfr. Q. 323, III) non permittit ut secunda Oratio sumatur ad libitum, cum præscribat Orationes in casu esse dicendas quæ in Missali prostant, eodemque or-

dine quo sunt inscriptæ. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 214-216.)

6° In *Missis quotidianis Defunctorum, si sunt lectæ*, Orationes tres dicendæ sunt, ut supra, sub 5°, pro *Missis* solemnibus aut cantatis præscribitur, tum in casu a), tum in casu b).

Sed, si placuerit Celebranti in his *Missis* lectis dicere plures quam tres Orationes, dicet primo et secundo loco Orationes, ut supra præscribuntur tum in casu a), tum in casu b); deinde, seposita tertia Oratione pro omnibus Fidelibus defunctis, nempe *Fidelium*, dicet tertio et quarto loco Orationes ad suum libitum, ex diversis quæ pro Defunctis describuntur in *Missali* post *Missas* de *Requiem* (cfr. Q. 321, B, 1 ad 12), servato pro Orationibus ad libitum ordine *Missalis*; et si placuerit septem Orationes dicere, dicet etiam quinto et sexto loco Orationes ex iisdem diversis; tandemque postremo loco, quinto scilicet, vel septimo reponet Orationem *Fidelium*, pro omnibus Fidelibus defunctis, quæ alias tertio loco fuisset dicta: huic enim, semper et in omni casu, quando plures Orationes dicuntur in *Missis* de *Requiem*, ultimus locus est assignandus.

NOTA. Si in *Missis* de *Requiem* præscriberetur Oratio imperata, pro Defuncto, vel Defunctis, hæc non potest dici in iis *Missis* in quibus una tantum permittitur Oratio (cfr. Q. 324, 1 ad 4); in iis autem *Missis*, in quibus tres Orationes debent dici (cfr. ibid. 5 et 6), Celebrans dicet hanc Orationem imperatam tertio loco, deinde reponet quarto loco Orationem pro omnibus Fidelibus defunctis: *Fidelium*; et in tali casu non debet servari impar numerus pro Orationibus in his *Missis* præscriptus (cfr. QQ. 323, IV, et 324, 6); si vero, in quotidianis *Missis* Defunctorum lectis, placuerit Celebranti plures Orationes addere (cfr. Q. 324, 6), tunc dicet tertio loco Orationem imperatam, et post hanc Orationes ad suum libitum, assignato Orationi *Fidelium* postremo loco, et servato numero Orationum impari. (Cfr. QQ. 104, et 131, II.)

§ 4. De Sequentia « Dies iræ »

De auctore hujus Sequentiæ dictum fuit Q. 139, V.

Q. 326. *Da regulas pro recitatione, vel omissione Sequentiæ Dies iræ, in diversis Missis de Requiem.*

R. Per Decretum 30 Junii 1896 (n. 3920), S. Rituum Congregatio declaravit: « Quod denique ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis *Missis*, uti etiam in lectis quæ diebus ut supra privilegiatis fiunt; in reliquis, vel recitari posse vel omitti ad libitum Celebrantis juxta Rubricas. » Ad normam hujus Decreti concinnata fuit, per Decretum 11 Decembris 1897, Rubrica generalis *Missalis*, Titulo V, n° 5.

Itaque regulæ pro recitatione, vel omissione Sequentiæ *Dies iræ*, possunt sequenti modo proponi:

1° In quibusvis *Missis* de *Requiem* solemniter, id est, cum assistentia Diaconi et Subdiaconi, aut in cantu celebratis, tum quando in ipsis unica dicitur Oratio, tum etiam quando in eis tres Orationes debent dici, semper dicenda est Sequentia *Dies iræ*.

2° Pro *Missis* lectis de *Requiem* distinguendum est:

a) Quando celebrantur *Missæ* lectæ in iis diebus, qui pro Defunctis privilegiati sunt; nempe: in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum; in die, et pro die Obitus seu Depositionis; in diebus tertio, septimo, et trigesimo; in die Anniversario, etiam late sumpto; verbo, quando in hujusmodi *Missis* lectis unica dicitur Oratio (cfr. Q. 324, nn. 1, 2, 3); tunc in *Missis* lectis de *Requiem* semper recitari debet Sequentia *Dies iræ*.

b) In *Missis* de *Requiem* quotidianis lectis, in quibus dicendæ sunt tres Orationes (cfr. Q. 324, n. 6), Sequentia *Dies iræ*, recitari vel omitti potest, ad arbitrium Sacerdotis celebrantis. — An ideo propositum semper in casu eam omittendi quasi regula convenit? Sacerdos propriæ ædificationi et animarum refrigerio intentus, non quasi fixum statutumque habebit semper Sequentiam omittere, sed sæpius quidem eam recitare optimo animo deliberatum tenebit.

De cantu Sequentiæ in Missis solemnibus aut cantatis, confer quæ dicta fuerunt Q. 318.

ARTICULUS II

DE COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM
DEFUNCTORUM

Q. 327. *Pauca refer de introductione ritus, quo præstituto die 2 Novembris Commemoratio agitur, per Officium et Missam, Omnium Fidelium Defunctorum.*

R. I. Quidam auctores putant Amalarium Metensem († circa 857) intendisse Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum, ubi dicit: « Sicut Sanctorum anniversaria dies in eorum honore ad memoriam nobis reducitur super utilitate nostra, ita defunctorum ad utilitatem illorum et nostram devotionem implendam, credendo eos aliquando venturos ad consortium Sanctorum. (*De ecclesiasticis Officiis*, Lib. IV, Cap. 44.) Et alibi: « Post officium Sanctorum officium pro mortuis. » (*De Ordine Antiphonarii*, Cap. 65.)

II. Quidquid sit de Amalarii intentione, certum est, tantum post sæculum et amplius, Commemorationem universalem Defunctorum, celebrata pridie Commemoratione Omnium Sanctorum, fuisse institutam a Sancto Odilone, Abbate Cluniacensi († 1049), pro omnibus monasteriis Cluniacensibus; ipse enim decrevit: « ut sicut in ecclesiis Dei, quæ per orbem terrarum longe lateque constructæ sunt, in die Kalendarum Novembrium agitur festivitas omnium Sanctorum, ita apud nos agatur festivo more Commemoratio omnium fidelium defunctorum, qui ab initio mundi fuerunt usque in finem. » (Mabillon, *Acta Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti*.) — Apud Cluniacenses prima vice celebrata fuit hæc Commemoratio anno 998.

III. Inter primos qui S. Odilonis exemplum sunt secuti, notatur Notgeris, Episcopus Leodiensis († 1007); et quoniam tunc temporis Mechliniæ Dominium numerabatur inter possessiones Ecclesiæ Leodiensis, æstimare licet, jam a primæva institutione in Civitate

De Commemoratione Defunctorum (Q. 328, 329) 315
Mechliniensi fuisse celebratam Omnium Fidelium Defunctorum Commemorationem.

IV. Hunc vero ritum Summi Pontifices non tantum approbaverunt, sed etiam ad universam propagarunt Ecclesiam, ut notat Martyrologium Romanum, in elogio S. Odilonis, ad Kalendas Januarii.

Q. 328. *Quid notandum est pro celebratione Missarum in hac Commemoratione?*

R. Omnes Missæ, præter unam conventualem in Cathedralibus et Collegiatis, celebrari debent de *Requiem*, etiamsi Officium fieret de Festo duplici; et dicitur Missa prima de quatuor assignatis.

Hæc tamen Missa applicari potest ad libitum Sacerdotis, vel pro omnibus defunctis, vel pro aliquibus aut aliquo tantum, ut respondit S. Rituum Congregatio, per Decretum 4 Augusti 1663 (n. 1275, antiq. 2241, n. 9); in omni casu tamen dicenda est unica Oratio *Fidelium*.

Missa cujuscumque Sacerdotis hoc die gaudet eodem privilegio, ac si esset in Altari privilegiato celebrata, ex Decreto Clementis XIII, diei 19 Maji 1761.

NOTA. Per Litteras in forma Brevis, 21 Augusti 1746, Benedictus XIV omnibus et singulis, in Hispaniarum et Portugalliæ regnis et dominiis actu commorantibus Sacerdotibus facultatem, perpetuo futuris temporibus duraturam concessit, ut in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum tres Missas singuli celebrare possint et valeant; ad finem ut multiplicatis in hoc die Ecclesiæ militantis suffragiis, piorum animæ in purgatorio detentæ subleventur; et sub conditione, ut pro omnibus Fidelibus Defunctis in genere fiat applicatio secundæ et tertię Missæ, et pro his duabus Missis nullum prorsus stipendium quocumque prætextu aut colore accipi valeat.

In aliis locis tale privilegium non exstat; et illicitum est, non obstante quacumque consuetudine, ut hoc die ab uno Sacerdote tres Missæ celebrentur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Januarii 1676, n. 1554, antiq. 2762.)

Sæpe postulatum fuit, ut hujusmodi facultas ad alia regna protenderetur; sed ejus extensio hucusque concessa nondum fuit. (Cfr. Benedictus XIV, *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*, Lib. III, Cap. IV, nn. 9, 10, 11; et ejusdem Litteræ Apostolicæ, 21 Augusti 1746, *Quod expensis*, apud Mühlbauer, *Decreta S. Rituum Congregationis* Tom. II, pag. 102.)

Q. 329. *Quid de speciali gratia indultum fuit pro quibus-*